



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola VIII. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Calvvm Imperatorem.
Imperatoris precibus, cum Burdigalensis prouincia a paganis esset
deuastata, Frotarium Burdigalensem archiepiscopum transfert in ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

amplius remanere , nisi ut nobis a vobis desperatis dimis-
sis , vobis etiam ab hac sancta ecclesia nulla spes ultra re-
maneat. Porro si in praesenti necessitate nobis aptum &
sufficiens præbueritis auxilium , & nihil differentes , popu-
lo Dei , beato Petro speciali prerogativa commisso , sub-
uenire studueritis ; scitote in omni opportunitate vestra
tanto nos fore promptiores , quanto fuerimus redditi ab
hoste securiores. Ceterum dilectionem tuam miramur
legatos nostros retinuisse , Leonem episcopum carissimum
nepotem nostrum apocrisiarium & missum apostolicæ
sedis , atque Petrum æque episcopum , qui cum festi-
nantes vos ad diuinitus protectum Augustum mitteren-
tur , a vobis & tunc detenti sunt , & modo nihilo minus
non merito retinentur. Quod quia contra decus aposto-
licæ sedis , quod nunquam factum est , profecto non di-
mittemus , cum hinc certi fuerimus , inultum. Cum enim
nos illos pro multiplicibus ecclesiæ nostræ necessitatibus
sub nimia festinatione miserimus ; a vobis , quem hoc non
latet , non impediri , sed ad id celerius agendum vestris ,
sicut credidimus , potius debuere fulciri subsidiis. Data
ut supra.

E P I S T O L A VIII.

I O A N N I S P A P A E VIII.

A D C A R O L V M C A L V V M I M P E R A T O R E M .

Imperatoris precibus , cum Burdigalensis prouincia a pa-
ganis esset deuastata , Frotarium Burdigensem archi-
episcopum transfert in ecclesiam Bituricensem.

Joannes episcopus Carolo imperatori.

P ETITIONEM vestram , filiorum carissime , quam non
abnegando sed dispensando dudum distulimus , nunc
nos ad votum nostrum ob id vel maxime , Christo præ-
duce , perduxisse gaudemus : quod & vestram gloriam
perseuerantem testificatricem cognouimus , & prouin-
cialium præfulum consentaneas probationes probauim-
us , & legatorum nostrorum subtilissimas disquisitio-
nes aduertimus. Quocirca , licet nos multis canonicis
testimonii prouocati petitionem vestræ deuotionis im-
plere magnopere moliremur , & solius maiestatis vestræ

Concil. Tom. 24.

B ij

testimonio super exterminio Burdigalensis prouinciae credere minime cunctaremur: tamen quia pietatis vestræ testimonio comprouincialium quoque præsulum literas conuenire , sicuti rebamur , nuper cognouimus , secundum pietatis vestræ religiosissimum libitum, Burdigalensis dioecesis episcopum , fratrem scilicet nostrum Frotrarium in Bituricensem ecclesiam cardinalem fieri decernentes , metropolitanæ dignitatis priuilegio iterato munire curauimus; & studii vestri solertia , quo semper idoneos ecclesiæ viros quadam naturalis ingenii nobilitate deligitis , admirantes , congruas literas , his quorum interest , ex auctoritate sedis nostræ direximus , atque magnanimitatem vestram , quam istius religiosi negotiis circa nos incentricem cognouimus , eam nihil minus executricem fore nec immerito delegamus . Quatenus propter Deum , cuius Filii precioso sanguine tota per mundum redempta consistit ecclesia , sic istius necessariae dispensationis instituta custodiat , vt a paternis regulis constitutis antiquitus in parte altera nunquam omnino discedat . Præterea , quod filiolitatis vestræ petit industria , vt quorum suggestionibus dudum vestra sit dilata petitio detegamus , omnino sciatis , quia nos licet indigni simus , tamen quoniam per consequentiam priorum nostrorum pontificum maturo cogimur esse iudicio , causam tantæ deliberationis ideo non facile tunc deliberandam credidimus , ne diffinisse , quod Deus auerterit , minus ordinabiliter videremur . At postquam Deus omnipotens petitionem serenitatis vestræ comprouincialium præsulum testimonio decorauit , imo testimonia præsulum pietatis vestræ suffragio confirmauit , nos religiosam petitionem vestram compleuimus , & suggestionibus fratum coepiscoporumque nostrorum manus porrexiimus , & ecclesiæ Dei tantis necessitatibus consulentes , de thesauro pontificalis pectoris ita vobis protulimus , vt a doctrinis deuiasse veteribus nullo modo videamur . Data , ut supra .